



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

Crombach, Hermann

Coloniæ, 1645

Oratio ante concionem immediatè dicenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14591

stensione spiritus & virtutis: Neque aures
audientium blando verborum sono per-
mulcere, sed corda penetrare satage, Pro-
phetam Esaiam audiens, te monentem:
Loquimini ad cor Hierusalem.

ORATIO ANTE CONCIO- nem immediatè dicenda.

Præmisso Hymno: Veni Creator &c.

Dignus es, Domine, accipere omnem glo-
riam & honorem, utinam omnes ad te
Creatorem tuum conuertam! Eta, Domine,
video, ut infiniti pereant, tuo sanguine &
laboribus empti: & nemo potest venire ad
te, nisi tu traxeris eum: Quid ergo pollu-
tis labijs & corde ego præstare potero sine te?
Da mihi itaque gratiam ad hoc, ad quod vo-
casti me, & adsint mihi Angeli tui, ut ad
tuam vniuersitatem gloriam ritè fiant vniuersæ.
Amen.

Alia Oratio.

Opater luminum, à quo omne datum o-
ptimum, & omiae donum perfectum,
tanquam à perenni fonte, pureoq; aquarum
vuentium, copiose dimanat; respice de so-
lio Maiestatis tuae, super me indignum fa-
mulum

mulum tuum, quem inter alia donatua, ad concionandi munus vocare dignatus es: largire mihi spiritum sapientiae & intellectus, qui mentem meam verbo tuo illustret, memoriam ad retinenda eloquia tua roboret, & linguam ad virtuosè & cum energia pronunciandum moderetur. & quæ ad Nominis tui gloriam & eorum qui me hodie audituri conueniunt, salutem dicturus sim, feruenti spiritu proferam, ne aures tantum inani verborum strepitu feriant, sed corda inimicorum Regis, velut acutissimæ sagittæ penetrant, & fructum optatissimum reportent.

Ecce, Domine Deus meus, hæc mea est intentio: Docebo iniquos vias tuas, & impij
 a Psal. 50 ad te conuertentur a. Non mihi, Domine, non mihi, sed Nomiini tuo da glo-
 b Psal. 113 riam b. Dispelle à me omnem philautię &
 cenodoxiæ spiritum, vt præter te nihil aliud
 queram: Et dum alijs prædico, ne reprobus ef-
 c. 1. Cor. 9 ficiar c, fac vt quod auditores meos doceo, vi-
 uis operibus ad eorum exemplum & imitatio-
 nem ritè exprimam & efformem. Quid enim
 proderit mihi, si vniuersum mundum lucrer,
 d Matt. 16 animæ verò meæ detrimentum patiar d? Absit,
 ô Domine Deus meus, absit, vt ea proferam,
 quæ seruare contemnam; absit, ne meam sic
 ve-

veritas moueat linguam , vt vitam feriat : ab-
sit, vt verbis mihi ipſi iudex & factis accusator
euadam ; sed da, vt fortius opere doceam quam
verbo , ne cœleste pabulum culpā meā viciatum
quibus tuis sine omni profectu frustra propona-
tur.

Domine Iesu , & me & auditores meos ,
sanctorum nobis assistentium Angelorum ma-
nibus in sacratissimi Cordis tui benedicti Vul-
nere colloco & repono , vbi ab inimico Verbi
tui fructum gnauiter impedituriente , tuti &
securi degamus , vbi velut in cœlestis sapientiae
tuæ Gymnasio in eloquijs tuis sufficienter in-
struamur , tibique deinceps fidelissime seruien-
tes , ad æterna Beatorum consortia , post hanc
vitam dignè recipiamur , à te Saluatore & lu-
dice nostro , qui cum Patre & spiritu Sancto
es benedictus in sœcula , Amen.

POST CONCIONEM.

C Ommendabis Auditores tuos de-
nuò Christo Saluatori , vt semen
Verbi eius à te iactum in cordibus fide-
lium fructum multum adferre iubeat .
Nam neque qui rigat , est aliquid , neque
qui plantat , sed qui incrementum dat
Deus . Item commenda illos Angelis suis

cu-